



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Procopivs M. 8. Iulii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

gia, atque adeo Christi re ducunt. Exi  
 ab! exi regno! nisi exis, scilicet efferere.  
 Ergo purpura penula, sceptrum bacu-  
 lo, corona galero cedit; atque ita digna  
 Regibus Anglis expeditio Romam,  
 inde Hierosolymam adornatur. Ulti-  
 mum, ut hanc etiam suæ peregrinatio-  
 nem cruce comitarentur, in illo iti-  
 nere patrem, in hoc oculos amittit.  
 Recepit tamen hos ad urbem sanctam  
 appulsus, viditque deinceps tam bene,  
 ut excacatis tum à Gentilitiâ super-  
 stitione Germanis dux à Gregorio  
 Pont. datus fuerit, quem quidem an-  
 nis XXXVI. egregiè præstitit, & nobi-  
 lem hodie Episcopatum Eystetensem  
 condidit. Sed inter omnia ejus ( que  
 multa & immortalia ) facinora, illud  
 princeps est, parentem è regno secum  
 ad D E V M abduxisse. Eant nunc de-  
 liri senes, querantur ultimo ætatis ad-  
 miniculo orbari sese, ubi è mundo fe-  
 lius abit. Abeundo WILLIBAL-  
 DVS, an non parenti Scipio fuit? &  
*Philippo Eystet.*

S. PROCOPIVS M, 8. Julii.

Saulum aut Saulo simillimum Nea-  
 Sniam vides : quippe à Diocletiano  
 Alexandriam missus, quò Christianos  
 illic excinderet, & ipse Christum ob-  
 vium habuit, & quidem è cruce sibi lo-  
 quentem. Multum igitur se aberrasse  
 animad-

animadvertens aliam viam deinceps ingressus est, & fabrefieri sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, qua fractos pedibus aureos argenteosque DEOS pauperum manibus in spoliis iussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed victo omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit & sanguine jam suo pulchram sacrâ undâ amplius lavit & abhinc PROCOPIVM dixit. Atque hic ille Procopius est, qui unus contra omnes Carnificum manipulos stetit, qui que prius quàm gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subiecit. Qua in re iterum Paulo similem illum rectè dicemus; in illo etiam superiorem, quod Christo moriturus filius matrem peperit. *Ex Metaph.*

S. CHILIANVS CVM SOC.  
M. M. 8. *Inlii.*

**V**Ti Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANVM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachum induit & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam

Bb                      acce-